

gressos, utilitatis magnitudine invitatos esse, ut armis occupare Salinas nobis vicinas conarentur. Sed siue hoc loco, siue ad aliam Salæ fluminis partem pugnatum est, haud dubie Hermunduri inter Albim & Salam & Sudetes montes sedem habuerunt. Hunc trigonum hodie vocamus Misnam: A Bohemicis montibus inter Albim & Salam, usque ad eorum confluentem. Idem *lib. IV. Chron. Carion. p. 399.* legitur. Ubi simul explicatur, quod Longobardorum sedes fuerit circa medium Albis, ad ripam occidentalem, ubi ditiones sunt Episcopatum Magdeburgensis & Halberstadenensis, cum parte Marchiæ veteris, *p. 398. & lib. III. de Longobard.* Sed ripa Albis dextra, ubi sunt Witeberga, deinde Jüterbok, fuit Semnonum. *Melanch. l. c.*

§. 7. Quod si autem quis fines Hermundurorum ad Orientem paullo longius extendere vellet, quemadmodum etiam aliqui faciunt, qui Freibergam Hermundurorum ad radices Sudetum Montium non minus propter amœnitatem ab Hermunduris cultam esse asserunt, urgentes imprimis Taciti verba de Albis origine, *ex cap. 41. de M. G.* dicemus, distingvenda esse tempora, siquidem ista gens sua tuguriola etiam ad Salam habuit. Hoc vel exinde clarescit, quod vicini Thuringii atque Hermunduri planè iidem populi olim fuerint, quod Dn. Herm. Conringii verbis, *de Antiquissimo Helmstadii statu*, describam: *Thuringos olim Hermunduros* audiisse, ait, eandemque gentem jam olim inter præcipuas habitam, Augusti & Tiberii ævo *Misnam* tenuisse, & hinc ad Danubium usque progressam; ubi Taciti ævo contra Rætiam & Vindeliciam ab Egræ usque tum Albi adscriptis fontibus, omnem Danubii oram Ulmam ferè usque possedisse: donec seculo tertio in mediterranea Germaniæ iterum redire, à Vandalis, Burgundis & Svevis compulsam, Cheruscorum terras per vim occupatas, indeque in Chaucos majores promotis limitibus Thuringiæ nomen in omnem illam scepro suo subditam regionem jure & more victorum transtulerit. Et quamvis Hermundurorum postea magnam partem vicerint *Serbi*, siue *Sorabi* populi Venedici die *Zorben Wenden* / quos clarissimi Viri à *Vandalis* probè distingvendos svadent, eò quod Vandalorum terram post migrationem in Gallias, Hispanias & Africam Venedi, h. e. diversæ Venedorum gentes occupaverint (*vid. Bangert. in not. ad Helmold. Chron. Slav. c. 2. Spangenberg in Adel Spiegel p. 1. l. 10. verb.*